



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

De luxu vestium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**



sua degunt, legitimum habeant impedimentū, promiscuè tempore Quadragesimali, aut alijs ieiuniorum diebus, cœnam, vel tempore ante meridiano escam ante horam debitam in ædibus præbent, vel dari patiuntur: aut si, quando hæc præcepta transgrediuntur, eos non reprehendunt, nec corrigunt; vel si serui corrigi nolint, & cæteris scandalo sint, è domo sua quamprimum eos ablegant.

*De administratione Familia.*

In omnibus his peccatis, nisi re ipsa præstet officium suum, negligentiamque in familia administratione commissam, & quantam ad ea, quæ dicta sunt attinet, in posterum sese emendare promittant, nullo modo eos absoluat, quòd si in se recipiant ea se facturos, nec horum admoniti vnquam à Confessario, vel Pastore præscripto modo fuerint, poterit eos absolueri: quod si sapius fuerint reprehensi, nec sese correxerint, tamē absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.

*De luxu vestium.*

Confessarius eundem cum eis modum seruabit, qui contra Conciliorum nostrorum provincialium, præcipuè verò Tertij Constitutionis, ac alios Canones nostros diebus festis operantur, vel à venditionibus, & similibus, quæ in illis prohibentur, non abstinent. Idem etiam seruetur cum ijs, qui in immoderato corporis ornatu & fastu mortaliter peccant.

Ac verò cum hac tempestate luxus vestium ad summum, quòd conscendere potuit verticem

videa-



videatur euasisse, idque magna ex parte culpa & negligentia Confessariorum accidat, qui vel ex inconsiderantia, vel fortè dum leuiter pœniten-tes peccare existimant, nullo cum scrupulo eos absoluunt, capita quædam in medium adfere-  
mus, quibus propter ornatum & luxum in vesti-  
tu, fastumque animi ingentem, plerumq; mor-  
taliter hodie peccatur, vt cum absolutio danda  
erit, secundùm eas regulas, actiones officij sui  
metiantur.

*Qui peccant in vestitu mortaliter.*

Si quis igitur vestitu splendidiore induitur, vel  
eo sese ornat ob finem peccati mortalis, vtrique  
mortaliter peccat; ad hæc qui vestimenti sum-  
ptuosi gratia, vel ipse delinquit, vel alij eius no-  
mine præceptum Domini, vel Ecclesiæ trans-  
grediuntur, ita vt, ne vestis non conficiatur, fe-  
stis diebus sartori operandum sit, vel ipse certè  
faciat eum operari, aut Sacrum Missæ officium  
omittere, vel vt alij omittant præbetur ab eo oc-  
casio; vel si causam præstet coniugi, ijsve, ad  
quos spectat eius sustentatio, vt plus quàm pri-  
uatæ opes ferunt, in vestitum impendant, vel si  
præuidet, vt meritò debet præuidere, aut saltem  
probabiliter dubitat, quod odia vestium causa  
gignantur, dissensionesve in ædibus fiant, vel  
quoddiodumentum causa coniux aut aliorum quis-  
piam blasphemias euomat, aut lucra, contra-  
ctusque illicitos exercent: His adde eos, qui  
ornatus gratia non sine peccato mortali super-  
sedent eleemosynis necessarijs, aut legata pia  
non exequantur, aut similia, quibus obstricti  
sunt, complere negligunt, vel qui pro veste mer-